



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Optima ratio postremæ sententiæ. c. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Ratio, qua ab aliis hac opinio probari solet.

Hanc ultimam sententiam, quam probabiliorem censemus, non omnes, qui illam sequuntur, eodem modo probant. Quidam hac ratione vtuntur. Scientia propriè dicta non est de singularibus, sed de vniuersalibus; ea enim debet esse de iis, quæ non possunt aliter se habere: singularia autem aliter se habere possunt: sed Theologia nostra est de singularibus, vt de mysterio Incarnationis, & de aliis contingentibus, quæ sola Dei voluntate fiunt, qualis est resurrectio mortuorum, & iustificatio in Sacramentis: ergo ea non est scientia. Hoc argumento vtuntur Aureolus, vt est apud Capreolum in quæst. 1. Prologi, artic. 2. in 4. argumento secundæ classis contra secundam conclusionem, Gregor. in 3. probatione 1. conclusionis, & Bassolis in illo art. 3. aliquantulum à principio. Qui sanè eadem ratione tenentur asserere, etiam si euidencia haberetur rerum contingentium illarum non esse propriè scientiam; sicut expresse notauit Bassolis.

16.

Aureol.

Gregor.

Bassol.

Impugnatur prædicta ratio.

S. Thom.

Albert. Alexand. Scotus.

Singularium potest esse scientia.

17.

Caiet.

Verum hæc ratio nullius ponderis est. Quare alij eam soluere conantur. Sanctus Thomas in hoc artic. 2. ad 2. dicit singularia tradi in sacra doctrina, non quia Theologia de illis sit principaliter, sed quia in exemplum adducuntur. Hæc tamen solutio non videtur satisfacere, quia mysteria incarnationis, iustificationis, & resurrectionis, non adducuntur in exemplum doctrinæ; sed de eis Theologia nostra principaliter tractat. Mitto solutionem Alberti quæst. 1. cit. ad 1. & Alexand. mem. illo 1. ad 1. & 2. quæ multo minus satisfacit; & respondeo ex doctrina Scoti quæst. illa 4. cit. non minus perfectam cognitionem esse posse singularium, quam vniuersalium, si ea sit euidens, vt reuera esse potest, ac proinde illorum posse esse scientiam; ea duntaxat conditione, vt hæc euidencia habeatur ex principiis singularibus per discursum aliquem. Si enim haberetur sine discursu, potius esset intellectus, quam scientia. Ea tamen ratione vulgo dicitur scientiam debere esse de vniuersalibus, quia illa, vt plurimum, possunt nobis esse euidenter nota lumine naturali, & ita certa, hoc est, perpetuæ veritatis, vt nunquam nos fallere possint. Cæterum, si aliquorum singularium habeatur euidens notitia, vt reuera haberi potest: & quibusdam positis, per discursum aliqua euidens conclusio colligatur, cur illius verè, & propriè non erit scientia? Sicut astrologis vlti venit: motus enim horum cælorum, & vniuersiisque orbis, occurrunt demonstrationem. Non igitur repugnat verè & propriè esse scientiam singularium, quorum affectiones, etiam futuræ euidenter, ac certo cognosci possunt. Quocirca si Deus communicaret euidenciam singularium, quæ sola fide credimus, vt incarnationis, glorificationis, &c. inde possent deduci conclusiones euidenter & necessariae, vt quod Christus duas habuerit voluntates, quod fuerit risibilis, &c. Hanc doctrinam tradidisse videtur Caietanus §. Ad primum. Inquit enim, de incarnatione & aliis secundum se contingentibus posse esse scientiam: quia, quatenus subsunt huic scientiæ Theologiæ, sunt necessaria; intelligit ratione reuelationis fidei, sicut inquit, de contingentibus, scientiam Dei esse posse.

Vnum sane obstat potest, ne istorum singularium quæ fide diuina creduntur, scientiam habeamus. Nam si communicaretur nobis euidencia eorum deberet esse rei, sicut est, per propriam speciem, quam vocant intuitiuam. Ex hac autem non potest esse discursus, sicut cap. 5. dicebamus, qui est proprium instrumentum sciendi. Quod si hanc noticiam intuitiuam propriè, & pressè appellarem scientiam, possemus etiam eodem nomine nuncupare noticiam singularium, quæ sola fide cognoscimus. Sed quia scientia propriè, vt distinguitur ab intellectu primorum principiorum, non dicitur notitia alicuius per se noti, sed per discursum; idcirco dicendum est singularium mysteriorum fidei, etiam si illorum Deus communicaret nobis noticiam euidentem, non posse esse scientiam: non quod singularia sint, sed quod essent per se nota, & ex illis per verum discursum nihil euidenter deduci posset, sed omnia simul in eis eodem intuitu cognoscerebatur.

Singularium mysteriorum fidei nequa esse scientia.

18.

Axioma verò vulgate philosophorum, nempe, *Singularium non est scientia*, intelligitur de singularibus rerum corruptibilium, & de scientia humana industria, & naturali lumine acquisita. Horum enim, præsertim quoad ipsorum existentiam futuram, certi aliquid habere non possumus, quia nec eodem modo consistentes habent operationes, & effectus, nec determinatam existentiam. Bene video Scotum loco citato diuerso modo sentire. Asserit enim singularium non posse esse scientiam, etiam si euidencia illorum habeatur per discursum: quia de ratione scientiæ, vt definitur 1. Poster, cap. 2. putat esse obiectum vniuersale, posse tamen esse superiorem noticiam, quam sit scientia eo loco de finita: aut etiam scientiam, vt definitur 6. Ethic. c. 4. & 5. prout solum ab opinione distinguitur. Verum eius sententia mihi non placet. Quia illa conditio obiecti vniuersalis non videtur necessaria ad rationem scientiæ, etiam vt 1. Poster. definitur; nisi eo modo quem supra explicauimus. Quinimo 6. Ethic. c. illo 5. Arist. aperte dicit scientiam esse existimationem de vniuersalibus, & de iis, quæ necessario sunt. Quare scientia singularium adhuc non esset ea, de qua agitur in 6. Ethic. si illa esset conditio necessaria, vt putauit Scotus.

Scotus.

Aristot.

19.

CAPVT VIII.

Optima ratione postrema sententia.

Vt postremam sententiam, quam diximus esse probabiliorem, optima ratione cõfirmemus, duo præmittenda sunt. Vnum est, hic non esse quæstionem de Theologia secundum se, hoc est, de dispositione ipsa arguendi, & probandi, quæ vtitur Theologia, videlicet vtrum illa sit dispositio demonstrationis sufficiens generare scientiam, si principia eius essent euidencia, an non; de hoc enim c. 4. satis diximus. Alterum est, cum quærimus an Theologia nostra sit vere, & propriè scientia; nomen, *Scientia*, vsurpandum esse in ea significatione propria, in qua à philosophis semper vsurpatum est. Sicut quando de Deo quæritur, vtrum in Deo sit misericordia, iustitia, aut ita, secundum proprietatem id quæritur, supposita communi, & ab omnibus recepta horum nominum significatione, supposita etiam definitione, qua philosophi horum nominum propria significata definire consueverunt; alioqui Theologis liceret, ad noua significata hæc nomina applicare. Accipimus igitur

Propositum summa quæstionis.

20. igitur hic scientiam proprie, ut distincta est ab intellectu eorum, quæ per se nota sunt. Latiori enim significatione communiter quoque recepta, intellectus principiorum, scientia etiam appellatur. Quia ratione notitia, quam Deus, & Angeli de rebus habent, scientia quoque dici consuevit. Nos ergo solum loquimur de scientia, ut distinguitur à notitia per se, quæ dicitur intellectus, cum inquirimus, an Theologia nostra sit propriè scientia.

His positis, si definitio scientiæ, quam tradunt Arist. & ceteri philosophi, non conuenit nostræ Theologiæ; absque dubio consequitur, non esse dicendam scientiam, neque argumentum Theologicum posse vocari demonstrationem: hæc enim est instrumentum proprium sciendi. Loquimur autem de argumento Theologico relato ad intellectum viatoris, cui sunt obscura illius principia, non ad intellectum alterius, cui essent euidenter nota. Nunc autem huiusmodi argumentum viatori non esse demonstrationem, neque assensum conclusionum illi esse scientiam, hac ratione probatur. Nam licet principia nostræ Theologiæ sint verissima, & necessaria; & discursus ex ipsis dispositus sit necessarius; imò in ratione consequentiæ nobis euidentis, quo inferri posset euidentis quoque, & certa notitia conclusionis, nisi obscuritas principiorum obstaret; tamen ex illis non generatur in nobis euidentis notitia conclusionis: ac proinde neque scientia; de cuius ratione, prout definitur ab Aristotele, & philosophis communiter est euidentia. Aut certe dicendum est alio modo hic usurpari scientiam, & demonstrationem, quam à philosophis vsquam definita est. Hoc pacto nonnulli Thomistæ, ut quartam sententiam mordicus tueantur, dicunt, ad rationem demonstrationis non esse necessariū procedere ex principiis euidenter notis ei, qui habet demonstrationem, sed satis esse, si ipse accipiat principia ab alio, qui eorum euidentiam habeat. Atque hac ratione putat in scientia subalternata habere veram demonstrationem, & scientiam eum, cui non sunt euidentes præmissæ, sed sola fide ab eo, qui habet subalternantem, acceptæ. Id quod videtur docuisse Sancti Thomas in hoc articulo, & probari ex Aristotele 1. Topic. cap. 1. qui definiens demonstrationem inquit, eam esse, quæ procedit ex primis, vel ex iis, quæ per primam, & vera fidem sumpserunt.

Formatur in
ratione.

21.

S. Thom.
Aristot.

Scientiæ de
beni esse euidentia
principia demon-
strationis.

Nota de sci-
entia subalter-
nata.

Hæc tamen solutio nihil habet probabilis. Qui enim in perspectiua assumit principia vera quidem, & necessaria, sola tamen fide humana sibi nota, per syllogismum ex illis non potest consequi maiorem, & certiorē notitiam conclusionis, quam est fides præmissarum, atqui illa fides est humana: ergo assensus conclusionis tantum erit fides humana, aut certè opinio. Cum vero S. Thomas dicat, scientiam subalternatam non esse scientiam, sed procedere ex principiis notis lumine superioris scientiæ, non est ita intelligendum, quasi putet ex sola fide humana principiorum posse generari assensum scientiæ in scientia subalternata, sed facultatem subalternatam appellat scientiam (vt explicat Caiet.) secundum se, hoc est, dispositionem argumentationis, qua vitur facultas subalternata, esse verè demonstrationem, si tamen aliàs non deficiat euidentia principiorum, vt reuera potest haberi, non intra limites subalternatæ scientiæ, nisi à posteriori, & inductione, sed lumine subalternantis. Eodem modo intelligit Theologiam

Vasquez in 1. partem 1. m. l.

nostram esse scientiam, quod accipiat principia nota lumine superioris scientiæ, scilicet beatorum.

Caietan.

Quo pacto Caietanus mentem S. Thomæ interpretatur. Sed vtum hoc eodem modo contingat in Theologia, atque in perspectiua, aliisque naturalibus scientiis subalternatis c. 4. dictum est.

Denique testimonium Aristotelis 1. Topic. c. 1.

Aristot.

frivolum est, neque enim dixit, scientiam esse, quæ ex primis per se euidenter notis, vel ex primis sola

Exponitur
definitio demon-
strationis.

fide creditis deducitur, sic enim Theologia esset scientia, vt aduersarij contendunt, sed dixit, vel ex iis, quæ per primam fidem acceperunt. Per fidem autem intelligit generatim assensum, non autem illum peculiarem, quem ex solo testimonio comparamus. Ea verò dicitur fidem accipere ex primis, quorum assensus non ex testimonio, aut ex acceptis probabiliter, sed ex primis euidenter notis acquiritur. Principia autem Theologiæ nec sunt euidenter per se nota Theologo, neque ex primis euidenter sibi notis eorum habent assensum, sed ipsa sunt prima solo testimonio, aut probabiliter nota: ergo non potest dici de nostra Theologia, eam procedere ex iis, quæ per primam, & vera fidem acceperunt, sed ex creditis sola fide, quibus testimonio, auctoritate, vel ratione probabiliter assentitur Theologus, quod longè diuersum est.

22.

Alij verò quamuis fateantur intra limites subalternatæ scientiæ non posse assensum scientiæ generari, nisi ex lumine subalternantis aliquis habeat euidentiam conclusionum, quas assumit tanquam principia in subalternata, vt probatum est: de Theologia tamen nostra putant esse diuersam rationem. Licet enim procedat ex principiis sola fide creditis, quia tamen fides illa diuina est, & assensus illius tanto certior, quam eorum, quæ euidenter nobis certa sunt, quanto testimonium primæ veritatis magis certum est quacumque veritate, & ratione creata; idèd dicit Theologiā nostram, quæ ex illis principiis ita creditis elicit conclusiones, esse verè scientiam. Sed neque horum ratio quicquam probat. Quod enim principia sint nota fide diuina, & idèd certior de illis habeatur assensus, quam sit euidentis notitia aliarum rerum creatarum, non sufficit ad generandam euidentiam conclusionis, quæ est de ratione scientiæ, prout ab Aristotele, & à philosophis communiter definitur. Dicere autem satis esse ad rationem scientiæ certitudinem illam diuinam absque euidentia, est definire prohibitu scientiam, & eam aliter viuipare, quam philosophi acceperunt.

Alia expo-
sicio.

Refutatio.

Aristot.

His accedit, quod conclusio Theologica, & illius assensus non est supernaturalis secundū substantiam, sicut communiter dicitur esse assensus fidei diuinæ, posito semel habitu infuso, & supernaturali ad credendum; eo quod assensus Theologicus non innitur immediate testimonio Dei ex illustratione supernaturali, sicut assensus fidei, sed media consequentiā ex articulis fidei; interdum quoque adiuncta propositione, solo lumine naturali cognita infertur. Quo fit, vt conclusionis Theologicæ assensus non sit infusus sua natura, sed acquisitus. Imo probabiliter quidam dixerunt assensum Theologicæ conclusionis, & scientiam illius non pendere ab assensu supernaturali articulorum fidei, per lumen supernaturale, sed ex firmo solum assensu illorum, aut signis, aut ratione, aut auctoritate humana Ecclesiæ comparato. Vnde Maior

23.
Assensus
Theologicus
naturalis est
in substantia.

in 4. q. 9. Prol. concedit, hæreticum, qui non habet fidem infusam, posse esse Theologū, & habere habitum,

Non pendet
ex assensu
supernatu-
rali princi-
piorum.

24.
Assensus
Theologicus
in fidei &
heretico idē.

bitum, & actū Theologiæ circa plures conclusio-
nes: signum ergo est, assensum conclusionis non
generari ex assensu supernaturali articulo-
rum. Alioquin, sicut in heretico, qui solum negat vñ
articulum, non manet assensus ex lumine infuso
circa aliquem alium, vt dicemus 2.2. q. 5. art. 5. sic
etiam non maneret assensus vere Theologicus vl-
lius conclusionis idem cum eo, quem habebat, cū
esset fidelis; Quia quoties variatur assensus pñ
cipiorum, vel alius principij in syllogismo ali-
quo, necesse est mutari assensum conclusionis, qui
ex illo principio generatur: influit enim assensus
principiorum in conclusiones.

Immerito autem nonnulli Thomistæ conce-
dunt assensum Theologicum in heretico esse al-
terius rationis, quam erit in ipso, cum esset fide-
lis. Quis enim percipere valeat differentiam il-
lam in modo assentiendi? Cur ergo debemus
absque fundamento eam asserere? Quod si con-
cedimus diuersum assensum articulo-
rum fidei ex lumine supernaturali, & ex signis, aut ex humana
auctoritate proferentem, ideo est, quia posito
habitu supernaturali fidei, necesse est ponere
proprium assensum illius, qui innitatur testimo-
nio primæ veritatis, distinctum ab assensu ex
miraculis, vel ex humana auctoritate, aut alio
modo per rationem deducto, vt 2. 2.2. questio. 1.
artic. 1. ostendimus. Denique quocunque mo-
do dicamus generari assensum conclusionū The-
ologicarum, cum ille non attingat euidentiā, quæ
a philosophis ponitur esse de ratione sciētiæ, non
poterit scientia propriè nuncupari, sed latiori dū-
taxat significatione, quatenus scientia dici potest
quævis cognitio, quouis modo acquisita, præfer-
tim si sit de reb. necessariis, & absque vlla formidi-
dine. De habitu autem Theologiæ eadem pro-
portione philosophandum est: naturæ enim habi-
tus ex actibus dignosci debet.

CAPVT IX.

Respondetur argumentis aduersariorum.

25.
Theologia
quo sensu
scientia à
Patribus di-
citur.

I Am verò ad argumenta tertiæ scientiæ, quæ so-
lum nobis supersunt diluenda, responderetur fa-
cile. Ad primum dicimus, doctrinam sacram à Pa-
tribus, & Scriptura scientiam appellari ratione il-
la generali, & communi, non tamen prout distin-
gitur ab assensu principiorum. Nam Patres, &
Scriptura ipsum quoque assensum fidei, qui est as-
sensu principiorum, & responder assensui, qui di-
citur intellectus in aliis scientiis, appellant scien-
tiam. Neque enim usurpant vocem præse in ea
peculiari significatione, qua philosophi vsurpa-
runt ad significandum solum assensum euidētē,
& per discursum deductum; sed latiori quadam si-
gnificatione, tamen absque metaphora, secun-
dum quam etiam in Deo & Angelis dicimus esse
scientiam, cum tamen & Dei, & Angelorum noti-
tia potius respondeat intellectui principiorū, quæ
sunt euidenter per se nota, quam notitiæ conclu-
sionum, quarum solum dicitur haberi scientia, vt
aduersarij faciunt, in ea propria, & peculiari signi-
ficatione, quam diximus.

Ad rationem respondemus id, quod assertur
in ea non satis esse, vt Theologia viatorum in ipsis
sit scientia: requiritur enim etiā euidentiā, vt præ-
batum est. Qualis verò sit iste assensus Theolo-
gicæ conclusionum, sequenti disputatione
patebit.

ARTIC. II.

DISPV. V.

De qualitate assensus conclusionis
Theologiæ, & habitus
circa ipsam.

Habitu Theologiæ esse declaratiuum, non adheſiuum,
putauit Aureolus cap. 1.

Quid sentiant Okam, & nominales. c. 2.

Vera sententia cap. 3.

Respondetur argumentis Caietani. c. 4.

CAPVT I.

Habitu Theologiæ, esse declaratiuum, non
adheſiuum, putauit Aureolus.

Deinde videndum est, qualis sit hic as-
sensu conclusionis Theologiæ, & habi-
tus inde acquisitus. In qua etiam re
variant Theologi. Prima autem senten-
tia sit Aureoli, quæ refert Okam q. illa 3. Prolog.
circa 2. assentis. habitu Theologiæ per discursum
acquistum non esse (vt ipse loquitur) adheſiuum,
sed declaratiuum: quali dicat non inclinari
intellectum per talem habitum ad eliciendum ac-
tum assentiendi, & adhaerendi vni parti contradi-
ctionis, sed solum ad actum declarandi melius, &
explicandi mysteria. Primum probatur acquiri ha-
bitum (id quod in hac sua opinione videtur sup-
ponere Aureolus) quia repetitione eorum actuum
eliciendo conclusiones ex articulis fidei, sit homo
indies magis habilis circa illas; acquirit ergo ali-
quem habitum, qui ei præstat promptitudinem.
Deinde per illum habitum non inclinari intelle-
ctum ad assensum, probat Aureolus, quia si gene-
raret assensum, vel esset scientiæ vel opinionis: nō
scientiæ, vt superiori disp. probatum manet: nec
opinionis: formidaret enim de veritate conclusio-
nis Theologiæ, qui sola opinione assentiretur;
Theologus autem formidare non potest, si tenet
fidem principiorum, & videt conclusionē euiden-
ti consequentia ex illis deduci: superest ergo vt sit
habitu declaratiuus; quia alius esse non potest.

CAPVT. II.

Quid sentiant Okam, & Nominales.

Secunda opinio est Okam loco allegato, & Ga-
brielis q. 7. prologi art. 1. notat. 2. Gregorij q. 1.
2. 4. conclus. 2. 3. & 4. Maioris q. 4. post medium.
Qui docent primum nō solum esse in Theologo
habitu, quem dicunt declaratiuum, sed etiam
per syllogismos ductos ex articulis fidei generari
assensum conclusionum, & inde acquiri habitum
adheſiuum. Deinde asserit hunc assensum, & ha-
bitum inde comparatum, nō esse scientiæ, vt præ-
dictū est, nec opinionis, nec fidei infusæ, sed fidei
acquisitæ, qui vel intenditur per discursum, vel
hōiiter etiam acquiritur, quando antea acquisi-
tus non erat. In priori parte huius sententiæ cum
prædictis auctoribus conueniunt Marfilius q. 2.
Prol. art. 2. con. 4. & Balsol. q. 5. a. 3. § dico breuiter,
vsq. in finem artic. qui dicit, esse in Theologo
habitu declarandi mysteria, & assentiendi con-
clusionibus, monere verò declarandi tunc fungi
Theologum, quando per vnum mysterium, aliud:
& per vnum locum Scripturæ alium declarat. Id
quod ipsi ecclesiastici Scriptores facere consueue-
runt. Ex hoc ergo exercitio acquirit Theologus
habitu declarandi. Ceterum habitum illum esse
se quoque ad assentiendum, recte probant contra
Aureol.

2.
Okam.
Gabriel.
Greg.
Maior.

Marfil.
Balsol.